



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Consequentibus Pertexens, Quae post beatum S. Xaverij
Obitum Soc. Patres ad Dei gloriam in iisdem Prouinciis gessere

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1667

34. Alexius Maldeira.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11445

Henriche laborum socius ad Cornu Comorinum, quadriennio toto fuit post grauissimas verberum famis, & sitis molestias, velut tunctionibus duris elaboratus lapis, cœlestis Ierusalem vt speramus ædificio est aptatus. Obit diuinæ voluntati libentissime acquiescens sed cupidissimus acerbiora pro illo perferendi.

De F. Alexio Malderia idcirco solum meminero ne facti eximij iusta laus excidat, quo suæ ardorem caritatis, & nixam Deo fiduciam luculenter probauit, cœtera præclaras quas de se dabat expectationes præstare non potuit, vnius biennij labore assiduo extinctus. Sed Goa Comorinum pedes, insistere solitus vbicumque in infidelium circulos incidisset, annunciabat illis diuina mysteria nunquam sine animæ alicuius, aut conuitorum, copioso, aut meriti saltem compendio. Batecalæ igitur, frequentissimo inter Onor & Bendor oppido, leucis Goa quatuor & viginti: dum subitaria concione turbam remoratur ethnicorum, mortuum efferentem, (qua mente ignotum,) sed confessione vna interpellatur ab ethnicis, diuque iam audito conditio ponitur, paratos se ad Christi laaacum, & quam deprædicabat legem, si suscitatione illius mortui, dicta confirmasset; sin autem abiret in malam rem, nec ultra tempus, & verba perderet. Conditionem arripuit frater, aggressurusque rem ex templo ad feretrum vertit; cum metu propositi euentus quo teneri se ad promissa, impij & mendaces ethnici nolebant, circumspectare inuicem, stupere attoniti, sensimque singuli silentio abire. Rogatus deinde Alexius, si starent infideles conditioni propositæ, quid esset facturus? nihil cunctatus respondit se Christi nomine, Mortuo imperaturum vt surgeret, nec dubitare se quin excitaturus hunc fuisset Deus. Deinde Coulanicum P. Lanciloto laboribus exhaustus inmodicis, oppressus est lethali asthma an. 1553. cum esset non pridem admissus in Societatem, & quidem magnis emptam incommodis in ministerio nostrorum quibuscum in Indiam nauigauit Societatem illic petiturus, quam non impetrabat in Lusitania. Conspicati parentes adolescentis consilium, postquã suadendo & rogando nihil agant ad euerendũ illius propositum, restitanti pallium detrahunt, rati nobilem iuuenem, & Ludouici Principis aulicum, domi necessario hæsurum dum soluisset classis, & absterritum iri pudore hominum ne Vlyssipone palam prodiret thoracatus. At is è contrario abiectis etiam calcis nudipes lætus incedere, commeatum viatici, vt mos est nauim conscensuris, ipsemet in nauim, ceruice per urbem comportare, vt cerebro motus ab notis existimatus sit, aded iuueni animoso, iudicia hominum, mundusque viluerat Lusis in hunc modum suorum conatibus peruenit in Indiam, vbi eius virtus ed quoque itinere facta perspectior, reclusit illi ingressum in Societatem, à quo passus repulsam fuerat in Lusitania.

Huius item sub anni exitum 1553. breuem clausit in ora Piscaria laborum curriculum P. Manuel Morales Lusitanus. Bragantiæ nobili gene-

34
Alexius
Maldeira.

35
De P. Ma-
nuele Mora-
les.